

CAPUT XXVII.

QUIBUS MODIS FIAT ABROGATIO LEGIS, ET QUOS
EFFECTUS HABEAT.

1. *Duplex legis abrogatio.* — In hoc capite explicabimus formam servandam in abrogatione legis, simulque de effectibus ejus dicemus, quia res est facilis et breviter explicari potest. Suppono igitur duplicem distingui posse legis abrogationem: unam vocare possumus non scriptam, quæ per dissuetudinem vel contrariam consuetudinem fit, de qua in libro sequenti dicturi sumus: hic autem de abrogatione scripta tractamus, quæ, licet generaliter fieri possit per verba ore prolata ab habente potestatem, nihilominus regulariter scribitur sicut humana lex, propter certitudinem et durationem, aliasque scripturæ utilitates.

2. Circa hanc ergo revocationem imprimis advertendum est variis modis fieri posse. Primo, pure abrogando legem, id est, tollendo obligationem ejus, et nullam aliam imponendo, et hæc abrogatio est omnium facillima, quia et oportet fieri per declarationem contrariæ voluntatis, et minorem requirit causam, quia non imponit onus, sed tollit. Aliter vero fit revocatio unam obligationem tollendo, et oppositam inducendo. Quæ oppositio potest esse, vel negativa tantum et quasi contradictoria, obligando, scilicet, ad non faciendum id quod antea præceptum erat, quod proprie habet locum quando lex prior affirmativa erat: nam, si esset prohibens, formalis contradictio esset præcipere postea eundem actum qui antea erat prohibitus. Et hoc etiam genus abrogationis est satis expressum et formale, quod nulla fere indiget interpretatione. Aliquando vero oppositio inter priorem et posteriorem legem est per positivam repugnantiam, et quasi contrarietatem, quæ proprie invenitur inter leges affirmativas præcipientes actus repugnantes, quarum posterior non facit mentionem prioris, illam formaliter abrogando, addita particula *non obstante*, vel in speciali, vel saltem in genere. Et hæc potest dici abrogatio implicita et virtualis, quæ habet locum, non solum quando utrumque præceptum est affirmativum, sed etiam quando alterum est negativum, si non sit immediate et formaliter oppositum, sed solum sub aliqua ratione magis generali. Quando ergo in nova lege repugnante priori additur clausula formaliter revocativa, tunc solum sunt consideranda verba

revocationis, an sint specialia, vel saltem sufficienti modo generalia ad comprehendendam priorem legem: alterum enim horum necessarium est ut formalis revocatio facta intelligatur, alioqui erit tantum implicita, et fere ejusdem rationis cum altera, in qua nulla clausula expressa derogationis additur, quæ non parvam difficultatem apud auctores habet; illam tamen breviter expediam.

3. *Prima conclusio.* — Dico ergo primo: lex inferior interdum abrogat præcedentem, etiam si nullam ejus mentionem faciat. Hæc assertio communis est et certa. Sumitur ex cap. 1 de Const., in 6, cum Glossa ibi, verb. *Revocare*, et verb. *Noscatur*, et ex l. *Sed et posteriores*, ff. de Leg. ibi, *Nisi contrariæ sunt*. Ratio est, quia voluntas posterior, supposita potestate, vincit et revocat priorem. Posterior autem lex, quando concordari non potest cum priori, sufficienter indicat voluntatem priori contrariam, saltem virtualement, quæ formali æquivaleret: ergo sufficit ad abrogationem.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: hæc abrogatio restringenda est, quoad fieri possit, regulariter loquendo. Hæc etiam conclusio communis est, de qua videri potest Bart. in l. *Si constante*, ff. Solut. matr., n. 39, et in repetit. l. *Cæsar*, ff. de Public. vectig., colum. 8; Decius in c. 1 de Constit., lect. 1, n. 11; Fel. in cap. *Nonnulli*, de Rescr. n. 6 et sequent.; Tiraqu., in præf. ad Retract., n. 62. Sumitur ex c. *Cum expediat*, de Elect., in 6, ubi Doctores, et ex l. 1, c. de Inoffic. dotibus, l. *Non est novum*, cum sequentibus, ff. de Legibus. Item ex aliis juribus, quæ asserunt correctionem iurium esse vitandam, quoad fieri possit, ut sumitur ex c. *Cum dilectus*, de Consuet., et leges posteriores sæpe ad anteriores trahi, et similia facit etiam regula juris, *Quæ a jure exorbitant non esse extendenda*. Nam constat legem revocatoriam ex suo genere exorbitantem esse. Ad idem facit regula, *Quod odia sunt restringenda*, quia monstravimus c. 18 mutationem legis de se nocivam esse. Unde sic concluditur, abrogatio legis, per se loquendo, non expedit reipublicæ, nisi necessitas cogat, quia ex se infert nocumentum: ergo restringenda est quoad fieri possit. Et confirmatur: nam ob hanc causam legis abrogatio magna consideratione facienda est: ergo non est verisimile (ait Decius) *voluisse principem uno verbo, et quasi aliud agentem, revocare legem observatam*: non est ergo admittendum nisi necessitas summa sit.

5. *Unde colligendum est legem esse odiosam.* — Atque hinc sequitur idem esse dicendum de

quacumque correctione, seu derogatione legis, etiamsi non sit in totum, sed in parte. Sumitur ex Bartolo in dicta l. *Si constante*, ff. Sol. matr., n. 39, et Tiraquel. supra, et passim ita loquuntur juristæ, ut supra de dispensatione dictum est, et infra de privilegiis dicetur. Et rationes adductæ cum proportionem applicari possunt: nam, licet minus nocumentum sit correctio vel derogatio quam abrogatio, nihilominus non parvum est, et ideo, si fieri potest, vitandum est. Verumtamen sæpe difficillimum erit omnem prioris legis derogationem et abrogationem vitare, quando posterior repugnare videtur; et ideo, si utraque excusari non potest, derogatio potius quam abrogatio admittenda est, ut ex duobus malis minus eligatur. Tamen, si aliqua probabilis ratio aut via occurrerit ad concordanda jura, etiam sine derogatione præferenda est. Quod vero aliqui addunt, legem posteriorem, etiamsi non deroget priori, eo ipso quod aliquid addat, odiosam esse et restringendam, verisimile non est; alias omnes leges de novo editæ essent odiosæ, quod dici non potest. Consideranda ergo est additio, et, juxta materiæ capacitatem et regulas positas in principio hujus libri, judicandum erit an talis dispositio odiosa sit vel favorabilis. Addit denique Bart., supra, quem Tiraqu. sequitur, distinguendam esse limitationem legis a correctione. Nam correctio proprie est quando lex præcedens ex parte tollitur, quia quoad illam minus utilis invenitur; limitatio vero intelligitur inesse ipsi legi ex quo condita fuit; nam postea solum per declarationem adhibetur; et ideo dixit idem Bartolus limitationem etiam in jure divino locum habere, in leg. 1, ff. de Const. Princ., et in l. 1, c. Si contra jus vel util. public. Unde limitatio sic sumpta, quæ potius interpretatio censenda est, non est exorbitans, nec odiosa, quia explicat verum sensum legis, et potius favorabilis est dicenda, etiamsi fortasse alicui minus utilis sit, ut sumitur ex cap. 2 de Decimis in 6.

6. *Duplex limitatio.* — Solent vero addi huic assertioni limitationes plures; duæ tamen videntur præcipuæ. Una est, legem correctoriam extendi propter similitudinem vel identitatem rationis, ut est apud Anton. Gabr., tom. 2 comm. opini., lib. 17; et Matienz., in leg. 19, tit. 11, l. 5 Recopil. Gloss. 2, n. 5 et seq. Sed hoc exponendum est juxta dicta supra c. 2 et 3 hujus libri, et omnino restringendum, vel non admittendum, nisi ubi tanta sit identitas, ut non possit sine gravi absurditate vitari extensio. Alioqui multo magis incerta est utilitas

extensionis legis propter rationis similitudinem, quam sit nocumentum in correctione legis; imo satis dubia res est an talis extensio aliquando expediat; de correctione autem legis constat minime expedire, si vitari potest. Ac denique non invenio illam limitationem esse in jure fundatam: restrictio autem correctionis legum in jure fundata est, semperque antiqua lex melioris est conditionis, et jus suum quasi possidet, quando de correctione expresse non constat. Unde oritur regula l. *Præceptum*, in fin. c. de Appellationib.: *Quidquid in posteriori lege specialiter non fuerit expressum, id veterum legum constitutionumque regulis relictum esse, intelligendum est.*

7. Alia limitatio est, nisi per correctionem legis redeatur ad antiquum jus: nam tunc illa correctio censetur favorabilis, quia est (ut ita dicam) revocatio prioris correctionis, quæ fuerat odiosa. Ita notat Tiraqu., dict. præf. ad Retract., n. 58, cum Bart., Fel., Deci. et Gozad., quos allegat; et favet quod Hieron., l. 1 contra Jovin., sentit, abrogationem legis veteris per novam favorabilem fuisse, quia nos ad principium seu ad priorem statum revocavit, ut habetur in cap. *Ab exordio*, 35 dist. Hoc etiam principium repetit idem Tiraqu., de Primogen., q. 24, n. 2 et 6; Cov., l. 3, Variar., c. 6, n. 4; Nav., in c. 1, § *Laboret*, de Pœnit., dist. 6, n. 16 et 17; qui allegant Gloss. in cap. *Statutum*, de Præbend., in 6, verb. *Numeranda*, cum multis antiquis, et idem sentiunt alii moderni; et pro ratione reddunt, quia, sicut unaquæque res facile reducitur ad naturam suam, ita etiam lex revertitur ad jus commune, quod videtur esse magis naturale.

8. Contra hanc vero limitationem objicit Tiraqu., in dicta præf. ad Retract., n. 59; quia sæpe contingit antiquiorem legem prius revocatam, fuisse odiosam: ergo reditus ad illam non debet censi favorabilis. Quod multo magis procedit, si illa lex antiqua iniqua fuit, vel licet justa fuerit et utilis, si altera revocans illam erat melior et utilior: nam tunc derogatio hujus propter reditum ad antiquiorem non est judicanda favorabilis. Non potest ergo talis regula generalis constitui, sed videtur considerandum quale fuerit illud jus antiquius prius revocatum, et juxta qualitatem ejus judicandum fore de reditu ad illud. Verumtamen hæc objectio fieri etiam potest contra assertionem secundam; nam, ob eandem causam, non potest pro regula statui revocationem legis esse odiosam, quia, si lex abrogata odiosa erat, vel si erat nimis rigida, aut parum utilis

ad bonos mores, certe abrogatio illius non debet censi odiosa, sed potius favorabilis, quia moderari rigorem, vel tollere odium, favorabile est. Quod quidem in particulari loquendo, quando cætera sunt paria, non videtur mihi posse negari: nam ratio facta videtur ex terminis nota. Et ideo in secunda assertione addidi *regulariter loquendo*, unde conclusio ipsa intelligenda est ex vi revocationis, seu ex suo genere, aut cæteris paribus, et ita procedunt rationes quibus probata est. In eodem ergo sensu sustineri potest limitatio posita, scilicet, reditum ad antiquam legem ex suo genere favorabilem esse.

9. Aliter vero objici potest, quia lex abrogata jam non est lex, quia destructa est per alteram quæ postea condita est et permanet quamdiu non revocatur: ergo ex tunc mutatio posterioris legis est simpliciter odiosa, et restringenda ex genere suo. Probatur consequentia, tum quia jam nihil ob stare potest lex illa antiquior, vel resistere alteri legi, quia quod non est non potest alteri resistere; tum etiam quia jus actu existens præferendum est illi quod jam præterit, et non est: ergo favorabilior esse debet conservatio præsentis juris quam reductio ad præteritum, eo vel maxime quod, cum illud præteritum jus jam non sit lex, non potest dici esse jus commune; tum demique quia mutatio legis eo est magis odiosa quo multiplicatur sæpius, quia eo magis derogatur naturæ et utilitati legis; ergo non minus, imo magis restringi debet mutatio secundæ legis abrogantis priorem, quam ipsamet, quæ priorem abrogavit. Propter hæc censeo illud vulgare principium non esse intelligendum de lege universali universaliter abrogata, quia tunc apud me argumenta convincunt non esse habendam rationem ejus, neque illam posse amplius vocari jus commune, nec reductionem ad illam posse reputari reductionem ad rei naturam. Intelligendum erit ergo illud principium de generali lege, quæ universaliter quidem perseveret, in particulari autem derogata sit per statutum, aut legem particularem. Tunc enim cessat objectio facta: nam lex illa post derogationem durat, et de se constituit jus commune, et ita de illo procedit recte communis ratio et doctrina.

10. Dico tertio: lex posterior non habens clausulam derogantem vel abrogantem priorem, non revocat illam nisi quando illi directe opponitur, ita ut nisi priori deroget, fiat inutilis. Ita docent communiter auctores citati, et imprimis, quod illa duo sufficiant ad deroga-

tionem, manifestum est, quia alias nunquam posset fieri abrogatio legis, sine formali clausula derogatoria, quia nihil aliud requiri aut cogitari potest; consequens autem est aperte falsum, tum ex c. 1 de Const., in 6, cum Glossa ibi, et doctoribus; tum etiam quia voluntas posterior, quæ ex vi objecti non potest consistere cum præcedenti, mutat illam, etiamsi formaliter et expresse non intendat ipsam abrogationem; ergo, etc. Quod vero illa duo sunt necessaria ad hanc abrogationem quasi virtualement seu indirectam, patet ex præcedenti assertionem, quia si leges possunt conciliari, non est admittenda correctio; sed quando utraque potest habere effectum, conciliari possunt; ergo. Et declarari hoc potest duobus exemplis. Unum est, quia lex posterior imponens novam pœnam non censetur eo ipso revocare aliam pœnam per priorem legem positam, teste Bart. in l. 1, ff. de Vi honor., quem sequitur Nav. in c. *Ita quorundam*, notab. 41, n. 14 et 30. Ratio autem est, quia non repugnat idem delictum duabus pœnis puniri, et ita illæ leges possunt simul subsistere quoad pœnas, si aliunde pœnæ ipsæ inter se repugnantes non sint. Aliud exemplum est: nam lex posterior dans aliquod remedium, vel concedens aliquid, non aufert eo ipso remedium datum per priorem legem: habet enim eandem rationem, quando remedia alias inter se non pugnant. Et ita notat Nav., cons. 8 de Offic. ordin., et sumitur ex l. *Quoties*, ff. de Action. et obligat., ubi dicitur legem dantem novam actionem non auferre antiquas, nisi eas expresse excludat.

11. Addunt vero aliqui, si potest vitari contrarietas legum, alterius verba improprie intelligendo, tunc posteriorem esse impropriandam, ut vitetur prioris correctio. Ita docent absolute ex modernis, referendo aliquos antiquos, Gut., l. 3 Pratic., q. 15, n. 34, et Sanc., l. 1 de Matr., disp. 17, n. 6. Sed non video sufficiens fundamentum tam generalis regulæ, quia si illa licentia absolute accipi posset, vix admittenda unquam esset correctio, vel abrogatio inter leges, propter contrarietatem, quia improprietas verborum tantam habet latitudinem, ut si propter hanc solam causam illa uti liceat, fere semper facile sit contrarietatem vitare: consequens autem est falsum, alias nihil esset firmum et stabile in legibus. Unde confirmatur, quia majus inconveniens est admittere improprietatem in posteriori lege, quam derogationem in priori, præsertim quia nulla est major ratio impropriandi posteriorem quam priorem. Confirmatur secundo ex

Glossa in l. *Non possunt*, ff. de Legib., dicente, in dubio de benignitate legis, proprietatem verborum esse tenendam; et in superioribus generaliter diximus restrictionem legis semper esse intelligendam intra proprietatem verborum, nisi contineat iniquitatem, vel absurditatem, ut tradit Bart. in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., n. 57 et 58; Panorm., Dec., Fel. et alii communiter in cap. 1, Constitutionibus; derogare autem priori legi, neque iniquum est, neque absurdum; ergo, per se loquendo, non sunt verba legis posterioris improprie intelligenda, ne derogent priori. Posset autem illud admitti, quando improprietas non est tanta, quin secundum communem usum soleant verba in illa significatione usurpari, vel quando secundum usum juris censi potest illa significatio propria, licet, attentata prima significatione, videatur impropria. Ut patet in particulari exemplo, in quo loquuntur Panorm. in cap. *Cum olim*, de Re judiciali, numero. ult., et Felin. in cap. *Non potest*, eodem titul. num. 8, scilicet, de electione facta in concordia, quæ in jure solet dici etiam de illa, in qua major tantum pars consentit, ideoque ad vitandam contrarietatem poterit interdum vox illa ita exponi. Major autem improprietas verborum non videtur admittenda, nisi ubi abrogatio ipsa vel contrarietas aliud speciale incommodum vel absurditatem contineret.

12. *Lex generalis posterior abrogat priorem. — Quid dicendum de lege speciali. — Quid facit lex generalis contra specialem.* — Ex hac ergo assertionem sequitur primo, legem generalem posteriorem omnino abrogare priorem, etiam generalem, dicto modo illi contrariam. Ita docent omnes, et sumitur ex cap. 1 de Cognat. spirituali, et ex d. cap. 1 de Const., in 6, et ex l. *Non est novum*, ff. de Legib., et notat Glossa penult. Ratio autem est, quia tunc lex posterior non potest simul subsistere cum priori, nec etiam potest ex parte valere et ex parte derogare alteri, tum quia universaliter loquitur, tum etiam quia non est major ratio de una parte quam de alia. Secundo, sequitur idem esse dicendum, quando utraque lex, prior et posterior, est specialis, et includunt similem contrarietatem quæ contradictionem involvat, tunc enim posterior abrogat priorem, propter eandem rationem. Et ita docuit Bartol. in d. l. *Omnes populi*, n. 29 et 35. Intelligitur autem de legibus specialibus, aut in jure communi contentis, aut de statutis quæ fiunt a particularibus communitatibus, vel legislatio-

ribus, qui scire possunt et debent sua statuta. Secus vero erit de particularibus legibus concessis a Pontifice extra commune jus: nam tunc clausula revocatoria requiritur, ut infra de Privilegiis latius dicemus. Tertio sequitur, quando lex prior est generalis, et posterior specialis illi contraria, posteriorem derogare priori, quamvis illam non abroget. Hoc enim posterius facere non potest, quia non est illi adæquate contraria: illud autem prius necessario sequitur ex dictis, quia posterior lex, quoad id quod specialiter disponit, non potest subsistere simul cum priori: ergo necessarium est ut ex parte illam revocet, quod est illi derogare. Nam alias esset inutilis; supponimus autem esse factam ab habente potestatem, et sine ignorantia prioris juris, quia non præsumitur princeps ignorare jus commune, seu generale, juxta cap. 1 de Const. in 6.

13. *Lex specialis contra generalem, quid valet.* — Quarto, infertur ex dictis, si lex prior sit specialis et posterior generalis, posteriorem, etiamsi sit contraria priori, non derogare illam, sed potius secundum illam limitari, seu derogari. Hæc est communis jurisperitorum, c. 1 de Rescr., ubi Panor., n. 2, et alii; et Bart., in l. *Quæsitum*, § ult., ff. de Fide instrument., n. 12; et sumitur ex regula juris in 6: *Generi per speciem derogatur*, ubi Glossa et omnes intelligunt, etiamsi species antecedit, juxta cap. *Quamvis tibi*, de Præb. in 6, ubi etiam id notat Glossa, idemque habetur in c. 1 de Rescr. Ratio vero est, quia princeps præsumitur ignorare particulare statutum, quando illius mentionem non facit; et ideo, licet universalem legem faciat, non censetur velle particulare statutum tollere. Quæ ratio et decisio habetur in dicto c. 1 de Const., in 6, ubi est sermo de particularibus statutis quoad loca; eadem vero ratio est de specialibus statutis quoad materias vel personas, ut probant alia jura et similitudo rationis. Unde in his etiam habet locum illa ratio, quia tunc potest utraque lex habere effectum cum aliqua concordia in jure usitata; ergo vitanda est correctio prioris legis, et credendum potius intentionem legislatoris esse posteriorem legem generalem ferre cum illa particulari limitatione et exceptione, ut infra latius de consuetudine et de privilegiis dicemus. Et hanc regulam variis modis declarant et amplificant doctores, quos congerit Sanc., l. 2 de Matr., disp. 24, n. 6 et sequent.

14. Atque ex dictis etiam facile est definire dubium hic incidens, an promulgatio sit necessaria ut abrogatio legis plene facta sit et

sum effectum consequatur. In hac enim re theologi, præsertim moderni, non consentiunt. Quidam enim absolute affirmant ad revocationem legis necessariam esse promulgationem. Ita tenet Vasq. 1. 2, disput. 156, cap. 4, et sequuntur aliqui moderni. Fundari potest hæc opinio, primo, quia servari debet proportio inter legem et revocationem ejus, quia opponuntur quasi privative; privatio autem reducit ad genus formæ contrariæ, et ex parte subjecti requirit omnes condiciones requisitas ad positivum oppositum, alias propria privatio non erit. Secundo, quia, sicut lex est regula humanarum actionum, ita etiam revocatio legis est suo modo regula, saltem permittens oppositum ejus, quod lex vetabat vel præcipiebat: ergo sicut lex non potest habere rationem regulæ nisi promulgata sit, ita nec legis abrogatio.

15. Alii nihilominus censent constituendam esse differentiam inter legem et revocationem ejus, quod ad revocationem non est necessaria promulgatio, sicut ad legem ipsam. Ita tenet Capreol., in 4, d. 1, q. 3, ad 1, contra primam conclusionem; sequitur Conr. 1. 2, quæst. 90, art. 4, ubi idem tenet Medin. circa finem articuli. Tenet etiam Cord., l. 4 de Indulgent., quæst. 36. Fundari potest hæc opinio, primo, quia plus requiritur ad ponendam obligationem quam ad auferendam; nam ad primum requiritur concursus omnium conditionum necessariorum ad veritatem et subsistentiam legis: ad secundum autem sufficit defectus cujuslibet conditionis; sed revocatio legis non ponit, sed aufert obligationem: ergo non est cur ad illam requirantur omnes condiciones quæ ad legem. Unde supra dicebamus, cessante evidenter justitia legis, cessare legem et obligationem ejus sine alia promulgatione: ergo similiter, cessante voluntate principis de obligatione legis, revocabitur lex sine alia promulgatione. Unde intulit Medin. supra, posse revocari legem per solum actum internum voluntatis principis nolentis ut lex amplius duret. Quod potest fieri verisimile, quia si in principio princeps ferret et promulgaret legem sine intentione obligandi, licet exterius putaretur lex lata, nihilominus illa non esset vera lex, nec per se obligaret, sed ad summum ex conscientia erronea. Ac denique, licet demus debere hanc voluntatem principis exterius ostendi, nihilominus non erit necessaria promulgatio, sed sufficere ut quocumque modo de illa sufficienter constet.

16. *Resolutio dubia.* — Mihi distinguendum

videtur inter revocationem puram et per se tantum factam, et revocationem mixtam cum aliqua obligatione contraria, et quasi consequentem ad illam. Et primo, dicendum est, ad revocationem quæ ex obligatione contraria sequitur, necessariam esse promulgationem, quod procedit, sive illa obligatio sit ad actum repugnantem priori legi, sive sit præcise ad non utendum priori lege, seu ad illam non servandum. Probatur, quia illa obligatio imponitur per novam legem: ergo ad illam legem requiritur promulgatio, quia eadem est ratio de illa quæ de cæteris, cum promulgatio sit de ratione legis, ut talis est: ergo ad dictam abrogationem eadem promulgatio necessaria est. Probatur consequentia, quia talis revocatio est effectus propriæ legis, imo est quasi accessorius, et consequens ad alium primarium, qui est contraria obligatio legis: ergo requirit legem plene constitutam, atque adeo promulgatam. Unde fit hanc promulgationem eodem modo et cum eisdem conditionibus hic postulari, sicut ad legem necessaria est. Unde, sicut lex ante promulgationem non obligat, licet privatim sciatur, ita in præsentem talis lex, ante promulgationem cum tempore sufficiente ad obligationem ejus, non deobligat ab alia, quia non prius habet secundarium effectum quam primarium. Et e converso, sicut post promulgationem et tempus sufficiens lex obligat, etiam privatim ignorata, quamvis ignorans invincibiliter excusetur; ita in præsentem lex hæc promulgata tollit obligationem prioris legis, per se loquendo, quamvis, si ignoretur, ex conscientia erronea obligare possit.

17. Dico secundo: pura revocatio legis per se et essentialiter non requirit promulgationem. Probatur argumento secundæ sententiæ, et quia talis revocatio non fit per aliquam legem, ad quam solam est necessaria promulgatio. An vero talis revocatio per se requirat saltem signum externum, incertum est. Videtur enim probabile esse necessarium, quia, sicut voluntas humana non potest habere effectum positivum circa alium hominem, nisi illi intimetur; ita etiam neque effectum privativum, seu ablativum obligationis: nam videtur esse eadem ratio. Unde si hoc concedatur, distinguenda erit manifestatio voluntatis principis a promulgatione: nam hæc requirit peculiarem solemnitatem quam negamus esse necessariam ad puram revocationem legis. Quia sufficere quælibet manifestatio voluntatis pro his quibus immediate fit: pro aliis vero satis erit divulgatio illius notitiæ per sufficientem famam aut

testificationem, ita ut, quamprimum aliquis illam notitiam consequatur, priori lege revocata non obligetur. Supponimus enim principis decretum dicto modo manifestatum fuisse, ut lex ex tunc non obligaret. Aliunde vero probabile est internam retractionem voluntatis per se posse sufficere ad tollendam legem, si supponatur princeps absolute velle ut ex tunc non obliget, quia statim cessaret obligatio ex defectu causæ conservantis: nam sicut lex in fieri pendet ab interna intentione, ita et in conservari, et ita procedit ratio supra pro Medina facta. Et tunc consequenter dicendum est obligationem quæ relinquitur in subditis esse mere per accidens, ex sola ignorantia et fictione legislatoris: nam si de voluntate ejus constaret, etiam per revelationem, lex per se non obligaret; talis autem voluntas principis omnino irrationabilis esset, et contra debitam gubernationem.

18. Unde dico tertio: ut abrogatio legis, etiam pura, debito modo fiat, publice proponenda est prudenti arbitrio legislatoris. Hoc suadent aliquo modo rationes primæ sententiæ, et quia, nisi revocatio sit publica, possunt facile sequi scandala, dum aliqui, propter privatam notitiam, legem non servant. Unde, sicut expedit communem obligationem de se simul incipere in eodem loco, ita expedit revocationem communis obligationis esse jam publicam et communem quoad omnes, quantum commode fieri possit. Et ideo nunquam præsumendum est principem voluisse antea vel aliter legem revocare, nisi evidentissime constet. Dixi autem modum hujus promulgationis relinqui arbitrio principis, quia in jure non est certus, nec definitus, nec videtur necessarium in revocatione servari omnem temporis dilationem quæ pro legum promulgatione præscribitur. Quia non est æqualis ratio, neque oportet, quod in favorem introductum est, extendere ad rigorem. Stabatur ergo consuetudini vel

actuali principis dispositioni. Atque ita constat etiam quando incipiat hæc abrogatio legis habere suum effectum: nam in hoc dependet a principis voluntate; ordinarie vero incipit a sufficienti publicatione: applicatur autem in particulari, cum primum pervenit revocatio ad uniuscujusque notitiam, quamvis hæc magis propter conscientiam quam propter revocationem legis secundum se, necessaria sit.

19. De effectibus autem hujus abrogationis nihil dicendum superest: nam per se solum consistit in ablatione legis. Unde quot fuerint effectus positivi prioris legis, tot erunt effectus privativi abrogationis ejus. Si ergo prior lex erat prohibens et irritans, abrogatio utrumque tollet, modo tamen utriusque accommodato. Quia quoad obligationem pendet aliquo modo in particulari a notitia; nam propter ignorantiam poterit in aliquo durare obligatio, quod non ita est in irritatione; nam abrogata lege irritante, etiamsi abrogatio ignoretur, et actus cum mala conscientia fiat, poterit esse validus, si fiat cum sufficienti voluntate. Et eadem proportione judicandum est de revocatione legis pœnalis quoad pœnam, ut sunt excommunicatio, irregularitas, et similia. Poni etiam potest inter effectus abrogationis, quod lex semel abrogata non potest redire per voluntatem subditorum, nisi iterum a legislatore feratur, quia jam substantia ejus periit. Quod notavit Navarrus constituens hoc discrimen inter abrogationem et non acceptationem legis, et cons. 1 de Constit., q. 7. Et huc etiam spectat quod dicunt juristæ, legem abrogatam non posse allegari, utique in vi legis, quia nulla est; secus in vi exempli aut rationis. De quo videri potest Bart. in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., n. 68, et Deci., in c. 1 de Const., lect. 1, n. 11, et lect. 2, n. 5. Denique, etsi abrogatio non sit pura, habebit, per quam fit, suos proprios effectus sibi accommodatos, qui ad præsentem considerationem non spectant.

